



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quâ theoreticè, quâ practicè
proponuntur

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Provisio 6. Per Imitationem Pretiosissimæ Dei Matris quam
perfectissimam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

quare ipse non pervenisti? inflammator aliorum, cur ipse tepore obtorpuisti? Quis tibi pudor? quæ labræ, quæ excusationes tunc suffragabuntur?

Ergo inveterate dierum tepidorum & ignavia consecratorum, vel nunc in effluentibus istis vitæ annis te respice, & saltem fac, ut eos assequare, quos longissimè præire atque post te relinquare & putabaris, & potuisti & debuisti, inter tanta, inter tot auxilia Divina, Sanctorum exempla, status tui media annorumque curricula. Quibus omnibus, si ad usque hæcenus, non ex æquo debitoque respondisti, in hoc quidem vitæ residuo, non tantum respondere, verum etiam præteritas jacturas compensare, sed etiam superare, toto animi conatu, elabora.

PROVISIO VI.

*Per Imitationem Pretiosissime Dei Matris
quàm perfectissimam.*

CONSIDERA vocationem quoque tuam & fuisse & adhuc esse, ut Pretiosissimam DEI tuamque Parentem quantum mortali fas esset, id est, quàm maximè & quàm perfectissimè imitareris. Sicut enim ad hoc Deus rerum conditor sapientissimus juxta ac providentissimus, solem in alto loco posuit, quem luminosissimum & in omnia inferiora beneficentissimum esse voluit, ut omnium in eum oculi intenderent, ex eo virtutes omnes haurirent, ita idem Dominus Gratiaë dator profusissimus, Pretiosissimam suam Matrem, sole hoc visibili longè illustriorem, quippè suæ perfectionis atque dignitatis & Majestatis sole
vesti-

vestitam, in altissimo præclarissimoque Regni sui cælestis loco & statu collocavit: ut ad eam omnium servorum suorum oculi, mentes, corda converterentur, sublevarenturque; & ab ejus efficacissima beneficentia, omnes, omnem plenitudinem bonorum, hoc est, maximam cum ea similitudinem morum, veluti molles ceræ à sigillo, veluti in nitida specula ab opposita specie exeiperent, eaque in suo beato Regno præfulgerent.

Et tuæ igitur partes fuerunt, operam omnem dare, ut totus fieres mulieri huic sole amictæ, solique justitiæ amicissimæ, quàm simillimus, quàm vicinissimus, quàm familiarissimus. Tuæ partes fuerunt, operam omnem dare, ut totus in MARIAM transires, totus in affectum erga MARIAM migrares, totus MARLÆ laudes spirares, totus Mariæ honor esses, honoresque ubique plantares, totus Mariæ peculium, patrimonium, possessio, hæreditas, hæreditatisque proventus fieres, perinde uti etiam hæc omnia, infinitesque plura & majora tibi est Maria, tibi sunt in Maria, tibi sunt per Mariam, sunt tibi propter Mariam.

Considera enim Amorem Mariæ erga te, qui tantus est, ut & si tu vilissimus, peccaminosissimus, ingratiſſimusque sis, & causa autorque passionis unigenti ejus, ipsa nihilominus, & amaverit te, dederitque Filium suum in mortem crucis pro te, & amet te, ut etiam peccatis ipse tuis trahatur ad amandum te miserendumque tui. Memor & gnara, unigenitum quoque suum, miserabilitate peccatorum tuorum, in visceribus misericordiæ suæ fuisse commotum ad amandum

dum

Jer. 24. 3.

dum te, vitamque suam pretiosam ponendum pro te; quod ipse fatetur Prophetæ dicenti. Longè Dominus apparuit mihi. Cui respondet: Et in charitate perpetuâ dilexi te, & attraxi te miserans tui. Quod ipsum fufius enarrat de feipfo apud alium Prophetam, inter cætera dicens Animâ cuilibet peccatrici. Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cum effes in sanguine tuo vive; dixi inquam tibi, in sanguine tuo vive. In hunc ergo modum Mater imitatur filii fui charitatem, & amavit & amare pergit te, quamvis revera indigniffimum elicientibus ejus in te charitatem, tum Filii fui labore pro te, tum miseriam peccatorum tuorum, quæ hæret in te.

Ezech. 16. 6.

Est enim Maria æmulatrix Samaritani illius veri, & illius exemplo miseretur faucium, spoliatum, semivivum, & ab omnibus derelictum te. Hic porrò amor Mariæ nequaquam sterilis fuit aut est in te, sed profusus est profunditurque in omnia momenta, per liberaliffimam beneficentiam super te. Infinitum effet recensere omnia beneficia ejus. Unum recole beneficium Vocationis Religiofæ, (quo utique illa te ornavit & ditavit) haustum de thesauris Divinæ Prædestinationis & providentiæ circa te. Quanta fint in vocationis Religiofæ beneficio bona, nulli hoc tibi calami describere, nulli discursus explicare tam præclarè poffunt, quàm tua ipfius tot annorum experientia. Vide & numera, quot malorum generibus, speciebus fimulque myriadibus expeditus es per vocationem Religiofam? vide item & numera, quot bonorum generibus, speciebus fimulque myriadibus per eandem ditatus, vallatus es jam nunc, & adhuc vallandus

dum dum vives, maximè verò dum beatam æternitatem possidere incipies? Atqui omnes hæ myriades, Mariana imprimis post Deum beneficia sunt & erunt. Et quomodo respondisti, quomodo respondes, quomodo non minor, ac planè minimus minutulusque es, in tua erga ipsam gratitudine?

Confidera etiam (ut saltem obiter attingam, minimè licet obiter considerandas) Mariæ virtutes. Mariæ gratias. Mariæ dignitates. Mariæ officia. Mariæ honores. Mariæ potestates. Mariæ merita & apud Deum, & apud omnem creaturam, quibus solo tantum Deo Filio suo inferior est, omnem autem & inferiorem & superiorem mundum immensè excedit. Ad quæ condignè æstimanda, Dei Filii solius & sola mens quæ contulit capax est, cæteræ creaturæ omnes, & singulæ, tam ad æstimandum impares sunt, quàm ad exæquandum insufficientes. Atque his tu omnibus, quantum tibi fas consideratis æstimatisque, intellige quænam fuerint tuæ partes ad Mariam diligendam, æstimandam, colendam, prædicandam, imitandam? Quàm parum ac planè nihil effecisses, etiamsi tota vita tua aliud omninò nihil egisses, nisi quod te officio tuo obligationique erga Mariam, omni possibili tibi conatu, studio, fervore incessabiliter impendisses! Cum verò conscius tibi sis, te planè hoc in officii erga illam genere, negligentem atque perfunctorium fuisse, jam cogita & conclude, quàm ingratus, quàm injurius, quàm morosus erga tantæ Eminentæ personam, quantæ MARIA Dei Mater est, extiteris?

Accedit ad ista omnia, quòd hæc Dei Pre-
tiosissima

tiosissima Dignissimaque Parens, tua facta sit, ex tua quidem voluntate atque electione (nam alios fontes nunc prætereo) facta sit, inquam, tua Domina & hera, tu verò ejus Mancipium: tua Mater, tu verò ejus Filius, tua Hæres, tu verò ejus possessio & Hæreditas, tua vicissim possessio atque Hæreditas, tu verò ejus hæres, tua Sponsa, tu verò ejusdem Sponsus, charitate mutua illi desponsatus. Ex quibus omnibus tuis cum Dei Matre connexionibus, maxima ac propemodum infinita tibi confurgit obligatio, immò obligationum seges, quibus omnibus ad amorem, exaltationem, appretiationem, venerationem, semper semperque majorem, atque nulla efficacitate exhauribilem, huic tuæ Dominæ, tuæ Matri, tuæ Hæredi, tuæ Hæreditati, tuæ Sponsæ, obnoxius es & eris.

I nunc & vide quomodo hætenus Mancipii, Filii, Hæreditatis, Hæredis, Sponsi Mariani partes expleveris, & quia sine dubio multam sterilitatem, ignaviam tuam, deprehendis, nunc ergo saltem, hoc quodcunque residuum est annorum & vitæ, hisce partibus quàm plenissimè explendis impende: sciens, tantum te placiturum Deo, quantum placebis Dei Matri, sciens etiam tantum te accessurum ad Deum, in gloria; quantum accedes ad Mariam in Amore & gratia; sciens contra, tantum defecturum apud Deum in merito, quantum deficies erga MARIAM in devoto obsequio.

PRO.